

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 65. (*Neoviden* in 1805. Nro. 62.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos  
inter, ac mortuos.*

Epistola data ad Dædalum in Elysium.

*Ex mundo superiore.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 16. Aug. 1805. (*Neov. 2 Aug.*)

---

*Peritissime Dædale!*

**L**abyrinthus, quem in insula Creta, prope Heliopolim ædificasti, hodie tantum nomine tenus notus est ex Historia; neque rudera ejus amplius inveniuntur, neque locus, ubi steterat, Virgilius eum ita describit:

Parietibus tectum cæcis iter, ancipitemque  
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi  
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

*Aeneid. Lib. 5. v. 589.*

Per labyrinthum nos intelligimus hortum, vel locum viarum ambagibus implexum; verum Labyrinthus a te constructus erat ingeniosissimum ædificium, Pantheon, quod ex meris conca-

meratis, & ita artificiose connexis ambitibus constabat, ut difficile fuerit exitum reperire.

Quantum splendorem, quantum artificium, quantam magnificentiam nos veteres in ædificando docuerunt! Hoc tempore nihil horum invenitur, ipsa inmanis, & vasta moles Caserta ad Neapolim est tantum domuncula comparate ad veterum architecturam, eorumque ædificia.

Pomponius Mela memoriæ prodidit descriptionem Ægyptiaci Labyrinthi. Positus erat ad lacum Mœrin, pone Arsinoen, alias patriam Crocodilorum. Tria millia cubiculorum illi inerant, & 12 palatia, totumque ædificium marmor tegebat. Unicus erat introitus, intus autem pro deambulando mille viarum anfractus, quin deinde potuerit exitus inveniri. Quod hæ ædes consurrexerint, bis mille annis plures effluerunt; attamen extant adhuc ejus rudera, sed vetustas temporis, & incursions barbarorum hunc veterum splendorem prostraverunt, ut sæpe jam Mameluci pedibus calcant vetusta artis monumenta.

Tertium labyrinthum scimus fuisse in insula Lemnos, cujus nec locus, nec rudera amplius visuntur; Quartus denique labyrinthus, Italicus compeilatus, stabat in vicinia Clusii, quem Porsenna Rex Hetruriæ, ut in eo sepeliretur, posuerat; Hujus jam tempore Plinii vix memoria supererat.

Nostri ætate non ponuntur talia monumenta, sed cui etiam essent usui? verum, si

speciemus publicorum negotiorum involutiones, profecto in politico degimus labyrintho. Erramus in eo, & non possumus exitum invenire. Jam proficiscebamur cum russo pacis conciliatore, sperantes, ut nos inde educat; pervenerat usque Berolinum, sed — metuens ultiores ingredi ambages, domum reversus est.

Alter politicus labyrinthus occurrit in limitibus Italiae: In militia Augustissimae Domus Austriae fiunt motus; sermo est de bellico apparatu; exstruuntur labyrinthi ex caederibus, ac societatibus, quo si nos cogitatione progrediamur, ad tales devenimus anfractus, ut nequeamus exitum invenire.

Interea novus accidit casus, qui nos posset ex politico educere labyrintho. Est quidem factum tantum politicae, sed tamen etiam *Repressaliarum*. Parisinae officiosae ephemeridem illud de 24. Julii in hunc modum commemorant:

Dominus Proni, supremus pontium, ac viarum Inspector, nec non Dominus Costanzo italicus Architecturae militaris praefectus, venerunt Venetias. Hodierna die mane citati sunt ad Politiam, ubi longum subiere examen de causis sui itineris. Edixerunt autem, se sola curiositate ductos advenisse. Quo facto remissi sunt ad suum hospitium; Interim quidam politicae munere fungens cum suis satellitibus eos accedit, inquit in eorum scripta, & tantum quatuor attentione digna deprehendit.

Horum duo continebant facultatem Domino Costanzo ab ejus Superioribus datam comitandi Dominum Proni facientem investigationem de fluvio Pado.

Tertium fuit Decretum Suae Cæsareæ Regiæ Majestatis, quo transpositio rerum militarium Taurino Ferrariam ordinatur.

Quartum fuit Nota Domini Bonfont absque subscriptione, petentis Statisticam descriptionem fluvii Padi.

Finita inquisitione his Dominis significatum est, eos esse captivos, & positæ sunt vigiliæ. Ego hoc vespere primum, quo eos invisere parabam, intellexi esse captos.

Tempore, quo apud eos morabar, & de hoc negotio loqueremur, supervenit mandatorum Præfati urbis executor, ejusque nomine commemorata quadruplicis generis scripta postulavit.

Dixi Officiali, hos Dominos non posse sua scripta tradere, esse jam examinata, & posse porro quoque videri. At ille inhæsit petito, & ego me obtuli ad faciendam eorum communicationem. Reposuit Officialis, ad id se non esse instructum potestate, quare e suis Politicæ adjunctis dimisit, qui nova adferret mandata.

Elapsa hora adfuit Politicæ Directoris administrator, & mihi nomine plena agendarum rerum potestate præditi publici Procuratoris (*Plenipotenenti Commissarii*) annunciavit, domicilium, in quo sum, hoc momento esse a Politia occupatum, in quo mihi morari non

est integrum; Respondi, me hunc nuncium pro violentia agnoscere, & dum me retraho, cedere tantum majori vi.

Facta hac declaratione adjunctus petit dicta quatuor scripta, quæ Domini Proni, & Costanzo erga litteras testantes acceptum, Officiali tradiderunt.

Quibus terminatis adjunctus repetit suam instructionem, qua erat præditus a Domino Plenipotentiato Commissario; ego vero iterum, iterumque reclamavi contra factum violentium, excessi, & reliqui Dominos Proni, & Costenzo sub custodia Politicæ.

Isti Domini toto tempore suæ commorationis Venetiis nulla alia re distinebantur, quam inspicendis artis objectis. — Subscriptus Rostagny Generalis rerum ad commercium peruenientium procurator.

Hanc relationem fecit Dominus Rostagny Gallicus Consul Venetiis residens. Ex parte Austriæ hac de re nulla adhuc comparuit declaratio; Et quid hinc natum est? Politicus labyrinthus apertus est, & Repressaliæ consecutæ.

Litteræ Parisinæ privatæ de 28. Julii narrant, ad hunc nuncium de duobus Officialibus Venetiis captis, esse etiam duos Austriacos peregrinantes Parisiis a Politia interceptos — Ut habeantur repressaliæ pro facto Venetiis ab Austriaca Politia suscepto, de quo Gallicus Consul memoratam præstitit relationem.



Cæterum nec Politia Austriaca rem hanc silentio præteribit, sed probabilius totam Cæsareæ Austriacæ Parisiis existenti legationi perscribet, ut hic politicus error explicetur. Hæc utique nullum adhuc denotant bellum, attamen produnt in minutiis exacerbationem.

Juxta alias privatas litteras ratione motus Austriacarum copiarum variæ notæ commutatæ sunt Galliam inter, ac Austriam, sed per omnes id effectum est, ut utrique parti cumulate sit satisfactum. Jam plures Gallicæ legiones ex territorio Genuensi properant in Galliam Australem, ubi solæ Regiæ italicæ cohortes remansuræ sunt. Ita etiam Dominus Mattingnoli tanquam Generalis Austriacus Consul Genuam jam ingressus est; Illuc paulo post venit etiam Austriacus Ærarii publici Consiliarius, Schæffer, ut nomine suæ Aulæ cum Numulario Durazzo varia conficiat Ærarii negotia. — Neapoli scribitur, eques *Don Antonio Micheroux* anno ætatis 49 vitam cum morte commutavisse.

Ex hoc itaque bellum minante Labyrintho erupissemus; quando autem inde bellum maritimum proditurum sit, superi norunt.

Labyrinthus calendarii etiam brevi unum, eundemque exitum habebit cum omnibus nationibus Europæis. In ephemeridibus: *Journal de l'Empire*, olim *des débats*, sequentia leguntur: A longo jam tempore graves exortæ sunt reclamaciones contra novum Calendarium. Objiciebatur eidem, Illo fieri, ut nos a tota separemus Europa, commercium

litterarum, & temporum computationem difficilem reddamus. Multæ confusiones in commercio, & negotiis politicis cum extraneis inde ortæ sunt, quod illi hanc novationem, quæ reipsa nullam veram continet utilitatem, nec ipsam accuratorem astronomicam, non acceptaverint. Nuperrime hoc Calendarium ipse celeberrimus ejus auctor Dominus Delalande est adortus, declaravitque hoc opus sibi tunc fuisse impositum, dum ad clavum imperii sedentibus contradicere summum erat periculum. Communis fert sententia, extare jam Decretum Cæsareum, quo novum Calendarium velut receptis inter Gentes Europæas moribus adversum suffertur, esseque sub prelo, & proxime lucem publicam aspecturum, Nullum dubium, quin hæc nova Sux Cæsareæ, & Regiæ Majestatis beneficentia grato animo sit excipienda.

Placencia scribitur, eo momento, quo quidam accusatus ad judicium militare, in arce congregatum, adductus est, collectio multorum millium embolorum igniariorum, uti etiam 32 vehicula tormentaria, in via ad arcem collocata, horribili cum fragore in aëra evolasse. Antiqua gothici laboris Ecclesia in arce corruit, & sepelivit 8 Officiales judicium militare celebrantes, accusatum, tres rei tormentariæ famulos, 11 milites, & alias plures personas. Facti hujus asseritur esse auctor ipse accusatus, furore, & desperatione ad id inductus.

---

## B I O G R A P H I A.

*Dædalus*, Atheniensis artifex, & quidem suo tempore peritissimus æque, ac diligentissimus, magistrum habuit *Mercurium*. Invenit complura instrumenta, posuit statuas præstantiores omnibus, quas hætenus admirati sumus. Nulla tamen habita ratione tam insignium naturæ donorum turpissimæ deditus erat invidiæ. *Talus*, ex ejus germana sorore filius, primus reperit usum rotæ figlinæ, hoc in eo accendit æmulationem, idcirco eum præcipitem dedit ex arce *Minervæ*. Profugus confugit ad aulam *Minois*, Regis *Cretensis*. Hic construxit illum a Poëtis ita decantatum labyrinthum, in quo ipse primus temeritatis luit pœnas. Cum enim amoris *Pasiphaes*, uxoris *Minois*, quæ taurum, id est, juvenem quemdam, tauri nomine compellatum deperibat, favisset, una cum suo filio in labyrinthum est inclusus. Hinc tamen ambo se salvarunt artificiosis alis, quas *Dædalus* suis, & si in sui *Icari* humeris adjunxit. Alas has credibile est fuisse vela navis, quam, ut effugerent, conscenderunt. *Cocalus* Rex *Camici* in *Sicilia* *Dædalum* recepit, apud quem reliquos vitæ suæ dies complevit.